

480 Tertia conditio est, ut causa legitima Exhæredationis in Testamento specificè exprimatur. *Novell. 115. cap. 3. ibi: Et ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes suo inseruerunt Testamento.* Urin autem Testamentum, in quo proles sine expressione causæ exhæredata invenitur, sit ipso jure nullum, an verò querelam inofficiosi Testamenti primùm rescindendum, pro, & contra multum disputant Doctores: uti videre est apud *Fachin. lib. 4. cap. 9. Covarruviam de Testament. cap. 16. Gomez. i. Variar. Resolut. II. Zachium ad ff. de Lib. & posthum. n. 10. & alios.* Porro quænam sint causæ legitimæ exhæredandi, dicitur n. 487.

481 Quarta conditio est, ut causa Exhæredationis Testamento inserta, ab hærede scripto legitime probetur, *arg. cit. Novell. 115. cap. 3. prin. ibi: Nisi probantur ingrati &c.* Et per hoc correctæ sunt Jura antiqua, vi quorum Exhæredato incumberebat probare suam innocentiam, & non hæredi scripto causam Exhæredationis.

482 Resp. II. Eadem conditio, quæ ad Exhæredationem liberorum, etiam ad Exhæredationem parentum requiritur. *Novell. 115. cap. 4. & Novella 22. cap. 47.*

483 Queritur III. Quænam sint legitimæ causæ exhæredandi descendentes? Resp. I. Causæ justæ ac legitimæ exhæredandi liberorum, & alios descendentes sunt quatuordecim, quas enumerat *Novella 115. cap. 3. ut sequitur I. Si quis parentibus suis manus intulerit*, supple injuste violentas, v. g. percutiendo, caput ad parietem allidendo, tundendo, aut simili modo. Ab hac tamen causa immunis est filius, qui pro patria pugnans, patrem hosti adherentem percussit, vel occidit: sicut & ille, qui pro defensione vitæ & membrorum contra patrem injuste, aut immoderatè castigantem, violentis manibus servatè moderatè inculpate tutelæ se defendit. *Covarruvias in c. Raynuius. de Testam. n. 13.* Ratio est; quia, quod quisquis ob tutelam corporis sui facit, jure fœsiccæ æstimatur. *L. 3. ff. de J. & J.*

484 II. *Si gravem & inhonestam injuriam eis intulerit.* Quænam autem sit gravis injuria, vel levis, vide apud *Menochium de Arbitrar. Jud. casu 263. Harprecht ad §. fin. Instit. de Exhered. lib. & alios.* Putat Clarus §. Testamentum. q. 42. n. 3. Joan. Andreas in c. prin. de Donat. & teste Claro Communis aliorum, huc referri etiam gravem injuriam verbalem, v. g. si quis patrem nominet proditorem patriæ. Rationem dant; quia gravis injuria verborum æquiparatur verberibus: præcipue si inferatur parenti, utpote cui summus honor & reverentia Jure Divino & humano debetur. Verùm *Harprecht ad §. fin. Instit. de Exhered. lib. n. 23.* putat, injuriam gravem ad propositum esse judicandam sine respectu ad personam parentis; eò quod alias vix esset levis injuria parenti illata. *I. Prætor. 7. §. 8. ff. de Injur. & famos. Libel.*

485 III. *Si eos in criminalibus causis accusaverit, que non sunt adversus Principem, vel Rempublicam.* Vel spontè & non coactus in causa criminali proles contra parentem testimonium ferat. *Glossa in c. Veniens. de Testib. Covarruvias de Testam. cap. 16. n. 15.* Ratio est; quia accusare, & testimonium in caput alicujus dicere, paria sunt, *L. Qui cum. 14. §. 5. ff. de bonis libert. Nec excusatur filius, si crimen patris verum sit.* *Covarruvias lo. cit. arg. cit. Novell. 115. cap. 3. Civiliter autem agens contra patrem, cumque accusans filius exhæredari non potest, arg. cit. Novella.* Ratio est: quia qui jus suum profertur, nemini facit injuriam. *L. 155. ff. de R. I.*

486 IV. *Si cum maleficis hominibus ut maleficus conversatur.* Ex quibus verbis patet, non sufficere ad Exhæredationem, si proles cum maleficis conversa-

tionem aut societatem habeat, sed etiam requiri, ut ipsa quoque malefica, vel venefica sit.

V. *Si vitæ parentum suorum per venenum, aut alio modo infidari tentaverit.* In quæ verba *Novella* notat cum aliis *Covarruvias lo. cit. n. 17.* sufficere conatum, est effectus non sequatur; putat, quia parens infidias prius deprehendit, vel efficaciter se defendit, *arg. cit. Novella §. 5.* Ratio est; quia valde detestabile crimen est, ut liberi attentent illis adimere vitam, a quibus vitam acceperunt. Accedit, quòd si requireretur etiam eventus, hæc causa nunquam effectum haberet, hoc ipso, quòd parens jam occisus exhæredare amplius non posset. Putat tamen *Covarruvias lo. cit.* Exhæredationis causam cellare, si filius parato jam veneno v. g. poeniteat, antequam deprehendatur, vel illud adhibeat.

VI. *Si noceræ suæ, aut concubine patris filius 488 se immiscuerit, id est, rem carnalem cum eo habuerit.* *Jus Bavaricum Tit. 35. a. 2.* extendit hanc causam etiam ad filiam carnaliter se commissentem cum vitrico suo, sive cum marito matris suæ.

VII. *Si delator contra parentes filius exierit, 489 & per suam delationem gravia eos dispendia fecerit sustinere, sive in corpore, sive in fama, sive in fortuna.* Quantum autem esse debeat dispendium, ut dicatur grave, Judicis arbitrio relinquitur, *l. 1. §. 2. ff. de Jure delib. & c. de Causis. 4. de Offic. delegat.*

VIII. *Si quemlibet ex dictis parentibus inclusum esse contigerit, & liberi, qui possunt ab intestato ad ejus successionem venire, petiti ab eo, ut unus ex his, in sua cum fideiussione noluerit suscipere, vel pro persona, vel pro debito, in tantum, qui petitur, probatur esse idoneus.* Hoc tamen, quòd de fideiussione censuimus, ad masculos tantummodo liberos volumus pertinere. Quibus formalibus *Novellæ* verbis, quia clara sunt, nihil addendum videtur.

IX. *Si quis ex liberis prohibet vel impedit, ne 491 parens faciat Testamentum, justè exhæredatur: imò ipso jure exhæres est, casu quo, ob tale impedimentum proles, parens Testamentum facere nequit; uti contingit, si testes impedit, sigilla abscondit &c. cit. Novell. 115. cap. 3. §. 9.*

X. *Si præter voluntatem sociaverit, inter Arena- 492 rios, vel Mimos sese sociaverit, & in hac professione permanserit: nisi forsitan etiam parentes ejusdem professionis fuerint.* Sunt formalia *Novellæ citata. §. 10.* *Arenarius* vocatur, qui in arenam pugnandi causâ descendunt, ibique sive cum bestijs, sive cum hominibus publice pugnant. *L. hæc deum 38. ff. de Oper. libert.* His annumerantur hodie ii; qui omnis generis armaturâ inter se concurrunt, & se invicem pro pecunia insipientium cedunt, vulgò *Federsechter, Marrbruder, Luwbruder.* Per *Mimos* intelliguntur non tantum illi, qui pro mercede publicè coram Communitate ludos faciunt, vulgò *die Gaukler, Seithanzer, Schalkesnarren,* sed etiam joculatores illi, qui dominis ludî causâ serviunt, & qui ut tales eorum convivis se inferunt, & omnis generis jocos inferunt. *Sichard. in Lex. Jurid. §. Mimi.*

XI. *Si alicui ex dictis parentibus volenti, sua 493 filia, vel nepti maritum dare, & dotem secundum vires suæ substantiæ pro ea præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam vitam degere elegerit.* Quamvis enim filia ex eo, quòd nuptias à parente oblatas recuset, exhæredari nequeat, *l. Cum te. 18. c. de Inoffic. Testam.* tamen exhæredationi subjacet, si honestis nuptiis oblati, luxuriosam vitam ducat.

XII. *Si liberi parentibus in furorem, vel demen- 494 tiam lapsi obsequium & curam competentem non præbuerint; à parentibus ad sanitatem redeuntibus exhæredari possunt, cit. Novell. 115. cap. 3. §. 12.* ubi etiam statuitur, quòd casu quo parentes in tali statu motian-

moriantur, hereditas ab intestato deveniat ad eum, qui ita constituto parenti usque ad mortem succur-

rebat; dammodo prius liberus, quòd parenti succur-

ret; per attestationem certos faciat, & illi nihilo minus parentem negligant.

495 XIII. *Si liberi parentem in captivitate hostis detentum non redimunt, dum possunt, justè exhæredantur à patre.* Imò ipso jure exhæredes sunt, ipsique hæreditas pro redemptione applicanda devolvitur ad Ecclesiam, ex qua captivus oriur, casu, quo parens in tali captivitate absque Testamento moriatur. *cit. Novell. 115. cap. 3. §. 13.*

496 XIV. *Si quis ex prædictis parentibus orthodoxus constitutus senserit filium suum vel liberum non esse catholicos fidei, nec in Sacrosanctæ Ecclesiæ communicare, in qua omnes beatissimi Patriarchæ unâ conspiratione, & concordia fidem rectissimam prædicant, & sanctas quatuor Synodos, Nicenam, Constantinopolitanam, Ephesiam primam, & Chalcedonensem amplecti seu recitare noscunt: licentiam habeant pro hac maxima causa ingratos eos, & exheredes in suo scribere Testamento.*

Hæ quatuordecim exhæredandi liberorum causæ breviter comprehenduntur in sequentibus verëculis.

*Bis septem ex causis exheres filius esto,
Si patrem seriat, vel maledicax ei,
Carcerè detrusum si negligat, aut furiosum,
Criminis accuset, vel parent infidias,
Si dederit damnium grave, si nec ab hoste redemit,
Testarij vetet, se societque malis,
Si Mimos sequitur, vitioque cubile parentum,
Si mutet fidem, filia si merearit.*

Num autem præter enumeratas, etiam ob alias æquè graves, vel graviores causas exhæredari possunt liberi, controvertitur inter DD. *Negant Molina Disp. 170. Perez de Lib. præter. nu. 18.* & nonnulli alii, ducti verbis *Novellæ 115. cap. 3. prin. ibi: Nulli liceat ex alia Lege ingratitudinis causas opponere, nisi que in hujus Constitutionis serie continentur.* *Affirmant Fachin. lib. 6. cap. 78. Jul. Clarus §. Testamentum. q. 14. Covarruvias de Testam. cap. 16. num. 23. & Communis, imò teste Fachin. receptissima aliorum, qui nituntur præcipue illo trito: ubi eadem ratio, eadem est Legis dispositio, & textu *l. Non possunt. ff. de Leg. ibi: Non possunt omnes articuli singillatim aut Legibus, aut Senatûs consulti comprehendit: sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, & ita judicare debet.* Verùm ad hunc textum facile respondent Adversarii dicendo, procedere illum, nisi Lex ipsa extensionem ob partium rationis expressè prohibeat; prout fit in casu nostro. *arg. cit. Novell. 115. cap. 3. prin.**

498 Hinc huic quantumvis communi sententiæ plenè deterrendum non videtur. Illud tamen eidem etiam Adversarii concedere debent, quòd licet non omnis alia æquè gravis ingratitudo habeat justam causam exhæredandi liberorum, hanc tamen subministrat omnibus quæcunque tandem gravis injuria parenti illata, consequenter adhuc in aliquo sensu verum sit, quòd in dicta *Novella 115.* non omnes exhæredandi causæ in specie sint expressæ, cum §. 2. in genere dicatur ad exhæredandam prolem sufficere, si gravem & inhonestam injuriam parenti intulerit. Quænam autem illa sit, planè arbitrio Judicis relinquendum videtur, juxta dictâ numer. 484. & 489.

499 Specialiter autem controvertunt DD. an gravis injuria, consequenter justa causa exhæredandi prolem sit, si proles contra voluntatem parentis certæ *Riffenstuel Jus Can. Tom. III.*

personæ nubat. Et quidem imprimis communiter negativam tenent in casu, quo proles absque parentis consensu, vel contra eundem nuptias celebrat cum honesta persona, uti videre est apud *Jul. Clarum q. 41. num. 4. Abbatem in c. 1. de Sponsal. impub. num. 5. Covarruviam de Matrim. p. 2. cap. 3. §. 8. num. 5. Jalonem in Authen. Sed si post. C. de Inoffic. Testam. & alios.* Ratio est; quia nulli facit injuriam, qui vitur jure suo. *L. 155. ff. de R. I.* atqui de Jure potest quis etiam sine consensu parentum contrahere matrimonium præsertim cum honesta persona *arg. c. Gemma. de Sponsal. & Matrim. & Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 9. & l. Cum te. 18. C. de Offic. Testam. ergo.*

Multum autem controvertunt de casu, quo proles absque consensu parentum nubit personæ inhonestæ. *Glossa siquidem in can. de Raptoribus. §. Excusata. cau. 36. q. 1. Alexander in l. 1. ff. solut. Matrim. Paul. Parthen. vol. 3. Const. 29. Felin. in c. Idem. num. 13. h. t. ac nonnulli alii tenent, in hoc casu omnimò justam adesse causam exhæredandi prolem contra voluntatem parentis ante annum 25. indignæ ac turpi personæ nubentem, saltem si pater aliis honestas nuptias obtulit, vel eas non impeditur. *arg. Authen. Sed si post. C. de Inoffic. Testam. ibi: Sed si vel sine consensu tuo (parentis) maritus libero tamen copulaverit, eam exhæredare non potest: ergo, inferunt à sensu contrario, si sine consensu parentis marito non libero, vel turpi personæ se copulet, exhæredari potest. Contrarium docent Covarruvias loc. cit. n. 5. & apud eum Imola in c. Accedens. de Procurat. Jalon in Authen. Sed si. C. de Inoffic. Testam. Haunoldus Tract. 6. cap. 7. num. 470. Molina Disp. 170. Clarus lo. cit. cum communi aliorum, cum quibus etiam sentiunt omnes illi, qui docent, præter causas in *Novella 115. cap. 3.* expressas, nullam aliam esse, ob quam parens liberis exhæredare possit, *arg. Juribus num. præced. allegatis. Ad Authen. Sed si.* respondent, eam vel contrarium non docere, vel si docet, attendendam non esse, utpote pugnantem in hoc contra Canones, contra quos Leges Civiles in materia matrimoniali nil obtinent, *arg. c. Tuam. de Ord. cognit. & c. Causam. 7. Qui filii sint legitim. junctio Concilio Trident. Sess. 24. can. 12. ibi: Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit.***

Verùm contra respondent priores sententiæ DD. 501 Leges Civiles per hoc nihil præjudicare ss. Canonibus, sed potius eos adjuvare; cum enim juxta Canones, & Leges Ecclesiasticas solum illicitum sit, contra voluntatem parentum cum turpi persona contrahere matrimonium, utique idem tanquam illicitum etiam Leges Civiles sub poena exhæredationis prohibere, sique prohibendo, Canones adjuvare possunt; sicut prohibent transgressionem aliarum Legum Ecclesiasticarum. Quæ sanè ratio sententiam hanc DD. facit latè probabilè.

Statuta Bavaricæ Tit. 40. a. 9. circa hoc punctum 502 sequentia disponunt, videlicet, I. Quòd si liberi nondum emancipati sine præfinito & consensu parentum aliquibus inferioris status, & conditionis, velliche ihnen in Stand und Herkommen nicht gemess se conjungunt, exhæredari quidem non possunt, tamen eidem nec dotem, nec aliud auxilium in vivis præstare teneantur; imò filia ita nubens privetur dimidiâ parte illius, quòd alias ab intestato habuisset, casu quo parens absque Testamento discedat. II. Si filia ante 25. annos, filius verò ante 30. annos absque consensu parentum nubit non tantum inæquali, sed etiam turpi personæ, possunt à parentibus omnimò exhæredari. Si verò parentes sine Testamento discedant, plus, quam dimidi-

diam partem Legitimæ capere non queunt. III. Si liberi abique consensu parentum, personæ conditionis æqualis nubunt, nec exheredantur, nec ab intestato aliquâ parte hæreditatis aliâ sibi debita privantur; parentibus tamen liberum manet, an ita nubentibus dotem, aliudvè auxilium in vivis præstare velint necne.

503 Quæritur IV. Quænam sint causæ, ob quas licet liberis exheredare parentes, vel alios ascendentes? Resp. esse octo sequentes, citata Novella II5, cap. 4. comprehensas. Quarum I. est, *Si parentes ad interitum vitæ liberos suos tradiderunt*, nempe, ut Glossa ibidem explicat, accusando eos de crimine, penam mortis inducente, citra causam tamen, quæ ad Majestatem pertinere cognoscitur. II. *Si venenit, aut maleficis aut alio modo parentes filiorum vitæ insidiat probabuntur*. Quod cum proportione intellige in eo sensu, quem explicavimus supra. III. *Si pater nurui suæ, aut concubinæ filii sui se immiscuerit*. Cujus sentum desume ex dictis supra. IV. *Si parentes, filios suos Testamentum condere prohibuerint in rebus, in quibus haberi testandi licentiam: omnibus videlicet in hujusmodi Testamentorum prohibitione servandis, quæ in parentum persona distinguntur*. V. *Si pater uxori suæ, vel hæc illi venenum præbet, aut vitæ insidiat*, potest à liberis ejusdem exheredari, §. 5. cit. Novell. VI. *Si liberis, vel uno ex his in favore constituto, parentes eos curare neglexerint: omnia & hæc observari præcipimus, quæ de parentibus furiosis superius dispositum: sunt verba Novellæ, vide de hoc num. 494.* VII. *Si liberi in civitate detenti negliguntur à parentibus*, §. 7. cit. Novell. vide de hoc num. 495. VIII. *Tandem filius catholicus exheredare potest patrem hereticum*, §. 8. citatæ Novell. Hæc causæ comprehenduntur in sequentibus verbis.

Si pater acufet capitalis criminis, aut se Adjungat nurui, vitæque est insidiat, Testari prohibet gnatum, matrique venenum Præparet, inclusum in carcere, vel furiosum Negligat, & veram contemnat Religionem.

504 Concordat in his causis Jus Bavaricum Land-Recht Tit. 35. a. 3. ubi ad finem addit, quod tam hæc quam præcedentes causæ exheredandi cessent, si in vivis adhuc parentes liberis, vel hi illis, ante conditum Testamentum reconciliantur: non item in reconciliatiōe post Testamentum, cui Exhereditatio jam est inserta, nisi Testator Testamentum revocet prius factum. De Jure communi quoque causæ exheredandi cessat, si ante Testamentum conditum fiat reconciliatio, prout cum communi aliorum docet Clarus quæst. 41. num. 9. & 10. Grass. §. Testamentum. q. 42. num. 9. Bartolus, & alii: quod variè probatur in additionibus Clari loc. cit. Si verò post Testamentum jam conditum exheredationem sibi insertam habens, reconciliatio contingat, exheredationem de Jure communi cessare, communitè negant, quamvis Bartolus in L. 3. §. fin. cum l. seg. ff. de Adimpler. leg. & Jason apud Covarruviam de Testam. cap. 16. num. 24. contrarium sentiant.

505 Porro, si proles post datam Exheredationis causam Monasterium ingreditur, ipso jure Exhereditatio cessat, etsi reconciliatio subsecuta non sit; prout docet Covarruvias lo. cit. n. 28. Abbas vol. 2. Confil. 7. Felinus in c. Rodolphus. de Rescript. Glossa in l. Deo nobis. C. de Episc. & Cleric. arg. can. fin. cau. 19. q. 3. ibi: Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes ab hereditate repellere Monachos factos; quamvis dum Laici fuerint, in causam ingratitudinis incidant. Non desunt tamen, qui doctrinam hujus num. negant, ex eo, quod Gratianus dicit, se hunc textum sumpsisse ex Novell. 123. cap. 59.

ubi nihil de hoc invenitur. Verùm Covarruvias & alii defendunt Gratianum ostendendo, quod licet Textus citatus non invenitur in citato cap. 59. ejus tamen substantia sit in cap. 41. ejusdem Novellæ 123. ut proin in Decreto Gratiani error calami, vel Typographi irrepperit, præsertim cum in citata Novell. tantum quadraginta quatuor sint Capita.

Quæritur V. Quæ sint causæ exheredandi fratres in casu, quo turpis persona instituta est hæres? Resp. eas breviter comprehendere in Novella 22. cap. 47. illis verbis: *Illum solum tanquam ingratum circa fratrem effectum participari hoc lucrum non concedimus, quo mortem voluit fratri, aut criminalem inducere contra eum subscriptionem, aut substantiæ ei præparavit inferre jacturam: ejus enim portio tam ad reliquos fratres, quam matrem veniat*. Breviter has causas indicant sequentes Versus.

Tres licet ob causas ingratum pelleret fratrem, Si fratri insidias, perniciosaque struat, Si scelera pingat, ferro, satèque pianda, Aut si fraternas perdere tenet opes.

§. XVI.

De Jure deliberandi; de Inventario; de Petitione; Aditione; Repudiatione; Absentione; & Renuntiatione hæreditatis.

S U M M A R I U M.

507 Jus deliberandi quid? & quare concedatur?
508 Etiam hodie conceditur petenti.
509 Inventarium quid?
 Et qualia afferat privilegia?
 Regulariter loquendo, nemo tenetur facere Inventarium.
512 Limitatur in aliquibus usque ad num. 515.
515 Inventarium quando inchoari, & perfici debeat?

516 Requisita ad legitimam confessionem Inventarii.
517 Hæreditatis petitio quid?
518 Hæreditatis aditio & immixtio quid?
519 Hæreditatis aditio quomodo fiat, & fieri præsumatur?
520 Hæreditatem adire potest, qui se obligare potest.
521 Dummodò hereditas ei sit delata, ipsèque sit certò hæres.
522 Aditio hæreditatis habet plures effectus. I. Namque transmittit hæreditatem ad hæreses.
523 II. Conferit jus & dominium totius hæreditatis.

524 Non tamen possessionem.
 Possessio hæreditatis quomodo acquiratur? Ibid.
525 III. Transfert in hæredem omnem obligationem defuncti, etsi vires hæreditatis excedat; si Inventarium non fecit.
 Hæres, & defunctus sunt una persona. Ibid.
526 IV. Facit hæredem obligatum ad solvenda legata, & adimplendam voluntatem defuncti, salvâ detractioe Falcidicæ ac Trebellianicæ.

527 Repudiatio & absentio hæreditatis quid?
 Hæreditas delata qua dicitur? Ibid.
528 Repudiare hæreditatem potest, qui cum acquirere potest.
529 Qui semel hæreditatem adiit, eam repudiare amplius non potest, & econtrà.
530 Limitatur in hærede Suo, qui repudiatam hæreditatem adhuc adire potest.

531 De repudiatione hæreditatis factâ à Prælo sine consensu Capitul. Remissive.

507 Quæritur I. Quid sit, ad quid, & quamdiu concedatur jus deliberandi? Resp. I. *Jus deliberandi ad propositum esse facultas hæredi concessa ad certum tempus differendi resolutionem, an hæreditatem adire velit nec ne, ac intereà inquirendi, quid hæreditas importet, quænam debita extent, consequenter an utilis sit, hæreditatem adire. Communis, arg. tot. Tit. ff. & C. de Jure deliberandi*. Introdudta est à Jure hæc facultas ad evitandum omne periculum in additione hæreditatis aliâ subeundum: cum enim hæres statim ac hæreditatem adit, contrahat obligationem solvendi omnia debita defuncti, etiam hæreditatem excedentia, Jura præstatam facultatem hæredi concesserunt, ne ignarus hæreditatis, & debitorum defuncti, adeundo hæreditatem periculum damni incurrat. Hinc debet Prætor hæredi subvenire, eique copiam instrumentorum inspicendorum facere, ut proinde instruere se possit, expedire nec ne, agnoscere hæreditatem; prout dicitur l. Aristo. ff. de Jure delib. Et quævis hæc facultas hodie videatur frustranea ob noviter introductum beneficium Inventarii, ut bene advertit l. fin. §. 13. & 14. C. eod. Nihilò minus

508 Resp. II. Etiam hodie adhuc volenti conceditur jus deliberandi, ita tamen ut Princeps non nisi tempus unius anni, Magistratus verò novem mensium spatium deliberandi concedere possint. Textus expressus est in cit. l. fin. C. eod. Incipit autem hoc tempus deliberandi primùm elapsis novem diebus post mortem illius, de cujus hæreditate agitur: Nam ante hos dies elapsos, upote tempus ad luctum concessum, nulli licet hæredes defuncti molestare. Authen. Sed neque. C. de Sepulchro viol. ibi: *Sed neque ante novem dies ab obitu numerandos ulla proflus fiat molestia adversus quemlibet ex persona defuncti*. Si quæ enim cautio, si quid simile fiat, inutile erit: ex hoc, nullo præjudicio creditori gerando.

509 Quæritur II. Quid, & cujus effectus sit Inventarium? Resp. I. *Inventarium ad propositum est scriptura, in qua res inventæ in hereditate defuncti describuntur*; prout definit Glossa in §. Si verò abiunt. Authen. de Hæredib. & Falcid. col. 1. Vel, est legitima bonorum in hereditate defuncti reperitorum annotatio, & in scripturam redactio, prout eam DD. communiter definiunt, arg. l. fin. C. de Jure delib. Dicitur notanter ad propositum; quia præter Inventarium hæreditatis datur etiam alia Inventaria, quæ fiunt à Tutoribus & Curatoribus circa res pupillorum vel Minorum, de quibus l. Tutores. 24. C. de Administr. Tutor. Item à creditoribus in possessionem creditorum missis, l. Cum plures. 15. ff. de Rebus Auth. Jud. poss. De quibus hæc non agimus.

510 Resp. II. *Inventarium plures, præsertim verò sequentes habet effectus, & commoda*. I. Quod hæres conficiens, vel confici curans Inventarium, sit immunis ab omni periculo adeundæ hæreditatis, possitque hæreditatem absque ullo suo damno iterum repudiare, ut proinde nullo indigeat jure deliberandi, an velit hæreditatem adire nec ne; cum etiam adeundo extra omne periculum sit, dummodò eum beneficio Inventarii adeat, prout clarè habetur l. fin. §. 2. C. de Jure delib. & unanimiter docent Doctores, signanter Hun. p. 4. Tit. 17. cap. 5. Sichard. ad l. fin. §. Si præsertim. n. 4. C. de Jure delib. Fachin. lib. 7. cap. 13. & alii. Hinc II. Non tenetur creditoribus solvere ultra vires hæreditatis, cit. l. fin. in §. 4. & 5. C. de Jure delib. III. Potest cuivis creditori liquido solutionem præstare, nec tenetur examinare, quis ex creditoribus potius aut Reiffenschuel Jus Can. Tom. III.

prius privilegium habeat, cit. l. fin. §. 5. C. eod. IV. Potest detrudere Falcidiam à legatis, etsi hæreditas solvendo non sit. Hun. lo. cit. Tholof. in Syn-tag. Jur. lib. 46. cap. 3. n. 17. Jason ad cit. l. fin. §. Esi præstatam. n. 1. Sichard. in eand. n. 5. arg. cit. l. fin. §. 4. V. Potest unum pro alio v. g. rem pro pretio creditori etiam invito solvere, cit. l. fin. §. Sin verò. C. eod. licet aliâ Juris regula sit, quod unum pro alio, creditori invito solvi nequeat, L. 2. §. Mutui datio. ff. de Reb. Creditis, & si certum petatur. VI. Quod à creditoribus intra tempus ad confessionem Inventarii à Jure concessum conveniri, aut molestari non possit, cit. l. fin. §. Donec. II. Ceod. Conveniunt in his etiam DD. & statuta Bavaricæ Tit. 43. a. 7.

Quæritur III. Quinam, & quando teneantur conficere Inventarium? Resp. I. Quamvis per se loquendo, nullus teneatur, nec cogi possit ad conficiendum Inventarium, præsertim, quando certò constat, quod hæreditas pro omnibus debitis sufficiat, vel hæres sit solvendo, ita ut nulli aliquid damni periculum imminet, prout habet Communis; eò quod Inventarium principaliter introductum sit in favorem hæredum; favore autem & privilegio uti nemo teneatur, l. Si quis. 29. C. de Pactis. Cui concordat statuta Bavaricæ Tit. 43. a. 1. Nihilò minus, qui periculum in adeunda hæreditate sapè occurrens, pondamque Legis evitare vult, Inventarium conficere omnino debet, Tholof. in Syn-tag. Jur. lib. 46. cap. 3. num. 2. Hun. lo. cit. cap. 1. Schne devv. in §. Contraveniens Inst. de Hæredit. qual. & differ. n. 12. Hartman. pract. Observ. Tit. 41. Observ. 2. n. 12. cum communis aliorum. Ratio patet ex dicendis infra.

Resp. II. Dantur casus, in quibus confessio Inventarii necessariò fieri debet. Patet inductione. Sic imprimis tenentur ad Inventarium Tutores, & Curatores, casu quo eorum cura commissi v. g. pupilli, minores, prodigi, furiosi, amentes &c. hæredes sunt: quod si non faciant, debent non tantum illi, cujus curam gerunt, led etiam creditoribus ultra vires hæreditatis satisfacere, si damnum inde exoritur. Hun. lo. cit. n. 13. Sebald. de Montual. de Inventario. cap. 5. numer. 43. & Communis aliorum. Ratio est; quia omnes, qui præstanderum rationum obligationem habent, ad confessionem Inventarii tenentur, arg. l. i. ff. de Tutel. & rat. distrah.

II. Debet fieri Inventarium ab hæredibus, vel 513 eis invitis, à Judice ex officio, quando periculum est, ne illo omisso cohæredes absentes, creditores, legatarii, aut ali damnum patiantur, prout contingere possent, si præsentibus hæredes hæreditatem interea distraherent, partem occultarent, vel dissiparent, vel tam pauperes essent, ut restitutionem Legge debitam facere non possent &c. Molina Disp. 219. Hun. lo. cit. & communis aliorum, arg. cit. l. fin. C. de Jure delib. & Novella 1. cap. 2. §. 1. Concordat Jus Bavar. Tit. 43. a. 1. ubi etiam mandat, quod apud Rusticos univèrsaliter fieri debeat Inventarium.

III. Gravati Fideicommissio univèrsali tenentur ad Inventarium. Molina Disp. 219. citans Communem. Hun. lo. cit. cap. 1. n. 22. Peregrin. de Fideicommissa. 35. n. 25. Tufchus Tom. 4. Conclus. 349. n. 20. & communis aliorum, arg. cit. l. fin. C. de Jure delib. & Novell. 1. cap. 2. §. 1. Ratio est; quia hoc ipso, quod vi fideicommissi tenetur alteri restituere hæreditatem, Inventarium facere debet, ne aliter adeundo hæreditatem dici possit aliquid subtraxisse, aut neglexisse.

Quæritur IV. Quando, & quomodo fieri possit, ac debeat Inventarium? Resp. I. Confessio Inventarii intra triginta dies à tempore aditæ hæreditatis
 T 1 2

inchoari, & coepta intra sexaginta dies (si hæreditas prærens) si verò abfens est intra annum abfolvi debet. Textus clarus habetur L. fin. §. Sin autem dubius, 2. & §. Sin autem à locis. 3. C. de Jure delib. De Jure Bavarico confectio Inventarii intra triginta dies à die obfignationis factæ inchoari, & coepta, quamprimùm & quidem uno die, si fieri potest, vel proximis diebus, ad summum autem intra mensem perfici debet, si hæreditas prærens est: si verò abfens intra sexaginta dies Tit. 43. a. 2.

516 Resp. II. Ad hoc, ut Inventarium rite perficiatur, requiritur I. Ut fiat in præfentia Notarii publici, ab ipsòque conferibatur. Hunn. p. 4. tit. 17. cap. 2. num. 28. Tholofer. in Syntag. Jur. lib. 46. cap. 2. n. 10. Schneidevvin ad §. Extraneis. n. 13. Instit. de Hæred. qual. arg. cit. L. fin. §. 2. C. de Jure delib. II. Debent adhiberi saltem duo idonei testes. Hunn. lo. cit. n. 24. Jafon ad cit. L. fin. n. 4. Scharius ad eandem. n. 24. Schneidevvin lo. cit. Matta Consil. 214. n. 14. & seqq. arg. cit. L. fin. §. 2. C. de Jure delib. qui testes debent heredem cognoscere. III. Requiritur, ut citentur creditores & legatarii, Hunn. & Schneidevvin. lo. cit. IV. Ut hæres formato prius signo Crucis in principio Inventarii propriam manu subscribat, similique fateatur, omnia absque dolo, & fraude esse facta, cit. L. fin. §. 2. de Jure delib. Quòd si hæres literarum est ignarus, specialem adhuc Notarium, qui locò illius subscribat, adhibere debet, arg. L. fin. cit. §. C. de Jure delib. Plura de Inventario vide apud Legistas. Statuta Bavaricæ de illo tractant Tit. 43. ubi a. 3. ex speciali privilegio concedunt, quòd moriente Nobili, possint Nobiles consanguinei absque interventu Judicis, & Notarii in præfentia testium conficere Inventarium, uti & obfignare.

517 Quæritur V. Quid sit hæreditatis petitio? Resp. Hæreditatis petitio est actio, quæ quis hæreditatem, vel totam vel pro parte petit, seu vindicat ab eo, qui illum pro hærede, aut pro possessore possidet. Calvinus §. Petitio hæreditatis. arg. L. Licet minimam. 10. ff. de Hæred. petit. & L. 27. ff. de Rei vindicac. Pro hærede autem possidet, qui putat se heredem esse. L. Pro hærede. 11. ff. de Hæred. petit. Pro possessore verò possidet, qui causam suæ possessionis aliam reddere nequit, quam quia possideo, cit. L. 11. & seqq. ff. cod. Uterque tenetur petitione hæreditatis, nam regulariter definiendum est, inquit Ulpianus L. Regulariter. 9. ff. cod. eum demum teneri petitione hæreditatis, qui vel jus pro hærede, vel pro possessore possidet, vel rem hæreditariam. Caueam pro Advocatis in faciendis Libellis quoad petitionem hæreditatis ponit Gailus lib. 1. Observ. 68.

518 Quæritur VI. Quid sit adire hæreditatem, & quomodò aditio hæreditatis fiat? Resp. I. Adire hæreditatem aliud non est, quam se pro hærede declarare, seu hæreditatem amplecti, agnoscere, seu admittere. Ita in re communis. Textus est in L. Pro hærede. 20. & L. Gerit. 88. ff. de Acquir. hæred. Et quamvis solus extraneus propriè adire hæreditatem, hæres suus verò se immiscere hæreditati dicatur. L. Et qui se ff. cod. & §. Extraneis. Instit. de Hæred. qual. & differ. junctâ L. 4. ff. Quibus ex causis in possess. Cojus ratio est, quòd hæres suus, viventibus adhuc parentibus quodammodo jam sit dominus, L. In suis. ff. de Suis & legit. hæred. tamen in Jure sapè confunduntur, ita ut adire hæreditatem, & immiscere se eidem pro eodem fumantur, prout post Scharius, ad Rubr. C. de Jure delib. nu. 16. bene notat Hunn. p. 4. Tit. 16. de Aditione hæred. n. 4.

519 Resp. II. Aditio hæreditatis variis modis contingere potest, videlicet verbis, factis, aut aliis signis, dummodo tacite vel expressè quis significet, quòd se pro hærede declarare, habere, aut gerere velit. L.

Pro hærede. 20. & L. Gerit. 88. ff. ad Acquirend. hæred. Hinc non tantum ille adire hæreditatem dicitur, qui expressis verbis pro hærede se declarat, de quo cit. L. Gerit. ff. cod. sed etiam ille, qui actum non nisi hæredi competentem facit, cit. l. Pro hærede. 20. §. Papinianus, ad finem ff. cod. Hujusmodi actus copiose enumerant Doctores. Præsertim Menochius lib. 4. Præsumpt. 102. ubi videt idem citatam lib. 4. Præsumpt. 100. copiose agit, quomodò ex verbis cognoscatur, adire quem hæreditatem. Illud univèrsaliter notandum, per actus indifferentes communes, tam hæredi, quam aliis, hæreditatis aditionem non præsumi, nisi alia conjectura concurrat. Hunn. lo. cit. Tholofer. lo. cit. nu. 3. Mantica de Conject. ultim. volunt. lib. 12. tit. 12. n. 7. Scharius ad L. Potuit. n. 15. C. de Jure delib. cum communi arg. cit. L. Pro hærede. §. Papinianus. ff. de Acquir. hæred. Inier hos actus indifferentes etiã reputatur, facere actum Religiofum, v. g. sepelire defunctum. Menoch. lo. cit. Præsumpt. 101. nu. 70. Hunn. lo. cit. cap. 2. num. 26. Mantica, & alii.

Quæritur VII. Quomam adire hæreditatem possint, & quid requiratur ad hoc, ut rite adeatur? Resp. I. Regula est: Omnis, qui se obligare possit, etiã adire hæreditatem valet. Communis. Inferitur ex ea: quòd pupillus sine auctoritate Tutoris hæreditatem adire non valet, L. Potuit. §. C. de Jure delib. Idem dic de furiosis, mente captis, prodigis &c. Ratio est; quia obligare se non potest. Potest nihilo minus eorum Curator, vel Tutor eandem adire, L. Si infanti. 18. C. de Jure delib. ita tamen, ut si pupillus sit infante major, excedens nempe septem annos, Tutor sine hujus consensu hæreditatem solus adire non possit. L. 5. C. cod.

Resp. II. Ad hoc, ut hæreditatem adire quis possit, debet ei prius ex Testamento, vel ab intestato esse delata hæreditas, ac sufficienter consistere, quòd adire volens, sit certò hæres. Hunn. p. 4. Tit. 16. cap. 3. Donell. lib. 7. Commen. cap. 4. §. Non satis. Tholof. in Syntag. Jur. lib. 46. cap. 4. n. 16. & alii, inferentes inde, quòd quamdiu dubium est, an Testamentum subsistat, vel quis sit legitimus hæres ab intestato, aditio hæreditatis valide non fiat.

Quæritur VIII. Quosnam pariat effectus Aditio hæreditatis? Resp. Parere plures, præsertim sequentes. I. Quòd hæreditatem transmittat ad hæredes hæredis: non aditã autem non transmittitur, excepto casu, in quo hæres suus nondum adit hæreditatem, textu expresso L. un. §. In Novissimo. §. C. de Caduc. toll. ibi: Hæreditatem etenim, nisi fuerit adita, transmitti nec veteres concedebant, nec nos patimur, exceptis liberorum personis.

II. Per aditionem hæreditatis acquirit quis jus, & dominium omnium rerum hæreditarium, quas defunctus habuit. Gailus lib. 2. Observ. 129. Hunn. p. 4. Tit. 16. cap. 3. n. 16. Matta Consil. 448. n. 4. & seqq. Scharius ad L. Si foror. 14. n. 1. & seqq. C. de Jure delib. cum communi, arg. L. 1. §. Veteres & L. Cum hæredes. 23. ff. de Acquir. & amit. possess. ibi: Aditã hæreditate omnia jura ad nos transeunt: etiam si eorum possessionem actu, & corporaliter nondum accepit, & quòd aditio hæreditatis solo animo fieri possit, & in nuda voluntate consistat, dummodo de ea sufficienter per signa externa constet. §. fin. Instit. de Hæred. qual. & differ. ibi: Nudã voluntate extraneus hæres fit.

Possessio tamen ipsa, nisi quis eam naturaliter etiam apprehendat, per solam aditionem hæreditatis non acquiritur. Gailus lo. cit. n. 2. Jafon in L. 3. ff. cod. n. 31. & ibidem Zaf. n. 27. cum communi DD. ff. ad cit. Tit. de Acquir. possess. Textus expressus, & in cit. L. 23. ff. cod. ibi: Aditã hæreditate omnia qui-

quidem jura ad nos transeunt: possessio tamen, nisi naturaliter comprehensa, ad nos non pertinet. Ratio est; quia possessionem scilicet aditam à pedum positione L. 1. ff. cod. adipiscimur corpore, & animo, neque per se animo, neque per se corpore, ut dicitur L. 3. prin. ff. cod. Licet semel acquilita, solo animo acquirit non possit, tamen solo animo retineri potest. Ex quo colliges malam esse consequentiam: Sum hæres, aditã hæreditatem; ergo sum possessor hæreditatis; prout bene advertit Gailus lo. cit. n. 8. ubi insuper cum communi DD. in L. 3. ff. cod. docet, quòd quis per possessionem unius rei hæreditaria v. g. fundi in hoc loco, non acquirit aliarum rerum alius in locis existentium possessionem: tametsi hoc in aliis casibus, veluti in emptione &c. fallat, arg. cit. L. 1. §. Veteres. & L. Prædia. ff. de Acquir. possess.

525 III. Adeundo hæreditatem contrahit quis obligationem solvendi omnia debita & obligationes defuncti, omnesque actiones passivas in se recipit, Scharius ad Rubr. C. de Jure delib. & in L. Si infanti. prin. C. cod. Hunn. p. 4. Tit. 16. cap. 3. n. 4. Layman lib. 3. tract. 5. cap. 6. Tholofer. cit. cap. 5. n. 5. & 8. Schrader in Tract. Feud. p. 3. sect. 2. num. 66. cum communi aliorum, arg. L. fin. C. de Jure delib. cum concordantiis: etiam si vires hæreditatis excedant, casu quo non fecit Inventarium, vel sine beneficio Inventarii hæreditatem adit, ut habet communis. L. fin. §. Sin autem. C. de Jure delib. &c. In Interis. §. de Raptorib. Ratio est; quia hæres & defunctus fitione Juris censentur una persona, L. Cum à matre. C. de Rei vindic. & l. Quoties. C. de Hæred. Instit. Scharius ad L. 3. n. 4. C. de Fideicommiss. Hunn. lo. cit. cap. 3. n. 6. cum Communi. Nam ex qua persona quis lucrum capit, ejus solium præstare debet. L. Ex qua. 149. ff. de Reg. Jur. &c. Non debet melioris conditionis esse, quam Antior meus, à quo jus in me transit.

526 Resp. IV. Post aditionem hæreditatis tenetur hæres solvere cuncta legata & fideicommissa, totãque adimplere voluntatem defuncti, ita tamen, ut detrahare possit à legatis Falcidiam, vel à fideicommissis Trebellianicam, si fecit Inventarium. De obligatione adimplendi voluntatem defuncti est, Communis ac certa L. 1. C. de SS. Eccles. De detractione Falcidicæ & Trebellianicæ patet ex dictis. Dicitur autem notanter, si fecit Inventarium; quia qui sine beneficio Inventarii adit hæreditatem, Falcidiam detrahare non potest, textu claro L. fin. C. de Jure delib. Utrum autem etiam deductionem Trebellianicæ perdat hæres hæreditatem sine Inventario adiens, magna est controversia inter DD. nonnullis ut Hunn. lo. cit. num. 11. Covarr. cap. 16. §. 11. n. 16. de Testam. Clar. §. Testamentum. q. 66. cum aliis affirmativam tenentibus; aliis verò, ut Gail. lib. 2. Observ. 134. num. 4. ubi ait, sententiam contrariam non observari in praxi, Grass. de Success. §. Trebellianicæ. q. 7. per tot. Fachin. lib. 4. Controp. 38. negativam tenentibus; utraque sententia inspectis Juris fundamentis ab eisdem allegatis, videtur probabilis.

527 Quæritur IV. Quid sit repudiare hæreditatem, & abstinere ab ea: vel quid sit repudiatio hæreditatis; vel abstinatio ab ea, & à quo fieri possit? Resp. I. Repudiare, est, hæreditatem jam delatam recusare, seu rejicere, vel non admittere. Communis. Dicitur hæreditatem delatam: quia quæ delata nondum est, repudiari non dicitur, textu claro L. 1. §. Decretalis. ff. de Success. editi. Dicitur autem hæreditas delata alicui, quando mortuo jam illo, de cuius hæreditate queritur, potest hæreditatem, si vult, statim adire & acquirere, vel repudiare: uti cum Communi docet Molina Disp. 174. nu. 20. Calvinus §. Delata. Baldus in L. Potuit. C. de Jure delib. Torce de Pactis Success. lib. 2. cap. 1. n. 15. arg. L. Delata. Reiffenhucl Jus Can. Tom. III.

ff. de V. S. & L. 1. §. Decretalis. ff. de Success. editi. Hinc hæreditas, vel aliud jus, quod de præfenti, volens adire non potest, nondum dicitur delatum, & ob id hæreditas futura, nondum defuncti, quia nondum delata est, repudiari non dicitur. Abstinere ferè coincidet cum repudiare, ipsique abstinatio & repudiatio idem significant eosdemque juris effectus habent, solumque in hoc differunt, quòd abstinere dicitur hæres necessarius suus; extraneus verò repudiare. Calvinus §. Repudiatio, cum communi, arg. §. 5. & 6. Instit. de Hæred. qual. & differ. sicut supra diximus circa adire hæreditatem, & immiscere se eidem; quòd nempe adire hæreditatem dicatur extraneus, immiscere verò se eidem dicitur hæres suus: quavis nonnunquam confundantur, ita ut & hæres suus repudiare hæreditatem dicatur.

Resp. II. Omnis si potest repudiare hæreditatem, 528 qui & acquirere potest, ait L. Is. 18. ff. de Acquir. hæred. Hinc sicut pupillus (idem dic de furiosis, amentibus &c.) se solo non potest adire hæreditatem, ita etiam nec repudiare valet, L. Pupillorum. 5. C. de Repud. vel abstin. hæred. ibi: Pupillorum repudiatio delatae hæreditatis, sine Tuore Auctore facta, nihil eis nocet.

Resp. III. Regulariter loquendo, qui semel hæ- 529 reditatem adit, eam repudiare amplius non potest: sicut econtrã, qui eam repudiavit, illam adire amplius nequit. Communis ac certa. Textus expressus habetur L. Sicut. 4. C. de Repud. hæred. ibi: Sicut major 25. annis, antequam adeat delatam hæreditatem, repudians successivam, post quærere non potest, quæ sitam renuntiatio nihil agit, sed jus, quod habuit, retinet.

Dicitur notanter regulariter loquendo, quia li- 530 mitatam Conclusio in hærede suo, utpote qui repudiata hæreditatem adhuc adire potest, si nondum alienata est, L. Si quis suus. 6. C. cod. ubi etiam tempus determinatur, intra quod hæredi suo hæreditatem semel repudiata, eam iterum adire licet: ubi vide, sicut & Jafon in dictam L. Si quis suus. C. cod. Hic etiam examinare solent Doctores, an liceat 531 Prælatu sine consensu Capituli, ac aliis Juris solemnitatibus repudiare hæreditatem vel legatum Ecclesiæ factum? Verum quia de hac re Tir. 10. §. 2. jam egimus, Lectorem illum remittimus.

§. XVII.

De Renuntiatione Hæreditatis: & Jure accrecendi.

S U M M A R I U M.

- 532 Renuntiatio hæreditatis quid?
- 533 Spes futuri juris renuntiari, & in pactum deduci potest. Ibid.
- 534 Renuntiatio hæreditatis multiplex.
- 535 Renuntiatio futurse hæreditatis in genere, vel personæ incertæ valet.
- 536 Renuntiatio & pactum circa hæreditatem ad huc viventis, cum hujus consensu valet. Et non. seq.
- 537 Renuntiare juri suo quisvis potest. Ibid.
- 538 Dummodo consensus non revocet.
- 539 Consensus debet præstari tunc, quando sit Renuntiatio.
- 540 Nec sufficit, si postea sequatur, & quare?
- 541 Consensus debet esse expressus, nec sufficit tacitus.
- 542 Renuntiatio de hæreditate viventis, sine hujus consensu facta non valet.
- 543 Est juramento confirmata sit.

498 Et alicubi contraria sit consuetudo. 543 Juramentum contra bonos mores, vel jus naturale, vel in praejudicium tertii non obligat. 544 Renuntiatio hereditatis plurium, uno absente aliis praesentibus, valet quoad praesentes: & non valet quoad absentes. 545 Renuntiatio Maris quando noceat liberis? Et num. seq. 546 Renuntiatio est strictè interpretanda. 547 Et non extenditur ad Feudalia bona. 548 Renuntians hereditati paternae potest tam a fratre vel alio iterum acquirere. 549 Ac retinet jus ad alimentum. 550 Renuntiatio sub conditione deficiit, deficiente conditione. 551 Sicut etiam facta ex certa causa deficiit, deficiente causa. 552 De Renuntiatione remissivè. 553 Jus accrescendi quid? 554 Et quibus competat?

& seq. Passerinus in c. Quamvis de Pactis. in 6. n. 61. & alii.

Quaritur II. An, & quando valida sit Renuntiatio praesertim jurata hereditatis futuræ, alicuius adhuc viventis? Resp. I. Renuntiatio seu pactum circa hereditatem alicuius adhuc viventis incerti, seu in genere licetè & validè fieri potest, nisi fiat in favorem tertii, Molina Disp. 412. & 579. Sanchez lib. 7. Moral. cap. 2. n. 31. Layman lib. 3. Tract. 5. cap. 7. n. 3. Torre de Pactis success. lib. 1. cap. 26. n. 1. cum communii aliorum, arg. L. 3. ff. Pro socio. Ratio est, quia in huiusmodi Renuntiatione abest periculum voti captandæ mortis, ob quod aliis Jura prohibent Renuntiationem hereditatis futuræ hominis adhuc viventis in favorem tertii, arg. L. fin. C. de Pactis. Hinc valida erit sequens Renuntiatio: Renuntio & cedo tibi omnem hereditatem, quæ mihi aliquando a quocumque tandem obtentura erit: hoc ipso enim, quod nullius certi hereditatis specificetur, nullius vita ob cupiditatem illius, cujus sit Renuntiatio, periculum patitur.

532 **Q**uaritur I. Quid sit Renuntiatio hereditatis? An, & quomodo fieri possit? Resp. I. Renuntiatio hereditatis est cessio, seu remissio juris, quod quis ad hereditatem habet, vel habere potest. Est in re communis, arg. L. 1. C. de Pactis. dicitur autem notanter, vel habere potest, ut etiam includatur Repudiatio futuræ hereditatis: quia non tantum juri jam quaesito, sed etiam quaerendo seu futuro quis renuntiare potest, arg. L. 1. C. de Pactis. Quamvis enim jus quaerendum, ac primò futurum in bonis nostris esse non dicatur, nec valeat de eo dispositio, arg. l. Si filius. 14. & l. Constante. 21. C. de Donationibus, tamen renuntari, & in pactum deduci potest ipse, quam habemus ad jus futurum, arg. cit. L. 1. C. de Pactis. & l. Spem. 3. C. de Donationibus. junctà l. Si pactum. 12. ff. de Action. empt.

533 **R**esp. II. Renuntiatio hereditatis varia est, & variè fieri potest. Patet inductione. Alia enim est, & fieri potest super hereditate pacifcentium inter se. Alia super hereditate Tertii. Renuntiatio hereditatis Tertii rursus alia est, & fieri potest in genere, quâ nempe quis renuntiat omni cuicumque tandem hereditati, quam unde, unde habere potest. Alia in specie, dum nempe quis renuntiat hereditati certæ, vel certarum personarum. Insuper alia est, quâ quis remittit, vel dimittit hereditatem actû jam aditam. Alia, quâ quis renuntiat hereditati futuræ nondum delatæ, seu potius spei, & juri incerto, quod quis habet ad futuram hereditatem alicujus adhuc viventis, uti jam dictum nu. præced. Talis foret Renuntiatio, quâ quis renuntiat hereditati consanguinei, cui succedendi spem habet. Renuntiatio adhuc alia est, & fieri potest in favorem tertii, vocaturque ab aliis Renuntiatio extingtiva, ac etiam Translativa, quatenus renuntians in alterum transfert jus, quod ad hereditatem habet. Alia est, quæ fit simpliciter, & in nullius favorem, quâ quis declarat, se nolle succedere, quisquis dein succedat. Potest autem fieri Renuntiatio vel ex sola ac simplici voluntate solum renuntians, absque concursu voluntatis alterius; & hæc propriissimè dicitur Renuntiatio. Torre lo. cit. n. 37. Galler. de Renunt. lib. 1. cap. 8. num. 6. 7. & 8. Alia, quæ fit cum consensu voluntatis alterius per modum pacti, & conventionis, quæ non differt à priori, nisi quod non possit tam faciliter revocari. Torre lo. cit. Galler. lo. cit. cap. 3. In præsentem præcipuè erit quaestio de Renuntiatione hereditatis futuræ adhuc viventis, eò quod de cæteris vel nulla, vel modica sit difficultas. De quibus tamen videri potest Torre de Pactis futuræ success. lib. 2. cap. 1.

Resp. II. Quævis Renuntiatio, & pactum circa hereditatem hominis viventis adhuc, etiam in alterius favorem facta valet, si fiat cum consensu illius, de cujus hereditate fit pactum, seu renuntiatio; dummodò talis consensum suum usque ad mortem non revocet: Layman lo. cit. n. 3. Menoch. Confil. 1. n. 166. Seraphin. de Privileg. juram. Privileg. 20. n. 6. Torre de Pactis futuræ success. lib. 1. cap. 29. n. 1. eoque teste Doctoribus omnes. Textus expressus habetur cit. L. fin. C. de Pactis: ubi postquam damnata sunt pacta super hereditate viventis, apponitur sequens limitatio: Nisi ipse forte, de cujus hereditate pactum est, voluntatem suam eis accommodaverit, & in ea usque ad extremum vitæ suæ spatium perseveraverit: tunc enim sublata acerbissima spe licebit eis illo sciente, & jubente huiusmodi pactiones servare. Ratio est, quia cum in favorem illius, de cujus hereditate agitur, sint prohibita renuntiationes & pacta circa hereditatem viventis, potest talis consentiendo renuntiare favori suo, hoc ipso, quod omnes licentiam habeant his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare. l. Si quis. 29. C. de Pactis. Et scienti ac consideranti non fit injuria. c. Scienti. de Reg. Jur. in 6.

Hinc valet pactum, quo liberi de futura hereditate patris adhuc viventis, ipso sciente & consentiente pacifcentur: dicendo v. g. Si das mihi modò mille florenos, cedo, & renuntio tibi omnem hereditatem paternam mihi aliquando obtenturam: vel si gratis unus ex eis dicat: Renuntio meam aliquando mihi obtenturam hereditatem paternam in favorem hujus, vel illius &c.

Dicitur notanter, dummodò talis consensum suum usque ad mortem non revocet: quia si revocet, uti potest, omnis valor Renuntiationis factæ evanescit, arg. cit. L. fin. C. de Pactis. Etsiamsi juratè, se consensum non revocaturum; quia licet in tali casu pater v. g. consensum revocans perjurus esset, revocatio nihilominus valida foret, factamque Renuntiationem invalidaret. Molina Disp. 579. num. 4. Sanchez lib. 7. Moral. cap. 2. num. 18. Torre lo. cit. Alicitus ad L. fin. C. de Pactis. cum communii aliorum.

Debet autem hic consensus præstari tunc quando fit Renuntiatio, seu pactum de hereditate consentientis, ita, ut non sufficiat, si postea primò sequatur, seu ratificet. Torre de Pactis futuræ success. lib. 1. cap. 29. n. 34. Merend. Contror. lib. 1. cap. 13. n. 7. Bolognet. ad L. fin. C. de Pactis. n. 46. Hodiernus Contror. cap. 28. n. 29. ubi plures allegat Rotæ Decisiones, & alii. Ratio est: tum quia, quando consensus requiritur ad integrandam pacifcentium personam, debet consensus in ipso actu intervenire, nec sufficit,

sufficit, si postea sequatur, arg. §. Tutor. Instit. de Auctor. Tutor. Tum etiam, quia quando agitur de præjudicio tertii, vel contra jus publicum, uti fit in Renuntiatione hereditatis, debet consensus relictus præstari tunc, quando fit actus, uti cum citatis Doctores bene adverit Daniel de Nobil. Disp. 31. n. 80.

539 Nec obstat c. Ratihibitionem, de Reg. Jur. in 6. dicens: Ratihibitionem retrorahi, & mandato comparari, non est dubium. Nec si dicas in casu, quo consensus solummodò exigitur ad evitandum præjudicium tertii, sufficere, si postea consensus sequatur. Nam contra est, quod hæc tantum procedant in casu, quo actus præcisè idè prohibetur propter delictum, & ob jus publicum; prout res se habet in præsentibus, ubi Renuntiatio seu pactum circa hereditatem viventis, eo non consentiente, idè prohibetur; quia est contra bonos mores, l. fin. C. de Pactis, & jus publicum L. Si quando. 35. §. 1. C. de Inoffic. Testam. & L. 3. C. de Collat. parim. Hinc ille, de cujus hereditate agitur, ab initio per suum consensum facere quidem potest, quod sit sine delicto, vel injuriâ arg. l. Volenti. ff. de Reg. Jur. post factum tamen, consensu suo facere non potest, delinere delictum, vel actum cum delicto factum non esse, l. Qui eâ mente. ff. de Furto. Illud tamen fatendum, sufficere consensum subsequentem, si Renuntiatio ad ratificationem illius, de cujus hereditate agitur, expressè facta est.

540 Porro non sufficit consensu tacitus, sed requiritur expressus. Merlin. de Pignor. & Hypoth. lib. 1. q. 40. n. 41. Bolognet. ad L. fin. C. de Pactis. Hodiern. Contror. lib. 1. cap. 28. n. 18. Flam. Parisien. lo. cit. & alii contra Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 2. nu. 11. & alios, arg. cit. l. fin. C. de Pactis. ibi: Sciens & jubente &c. Ratio est; quia tacitus consensus non sufficit, seu tacens non habetur pro consentiente, quando agitur de præjudicio tacentis, nisi Jus specialiter quid disponat, prout laudis probavimus supra Lib. 2. Tit. 12. num. 177.

541 **R**esp. III. Omnis Renuntiatio, vel pactum circa hereditatem unius vel plurium viventium in specie, sine hujus vel horum consensu, in favorem alterius facta, etiamsi juramento fuerit confirmata, nulla atque invalida est. Prima pars, quod talis Renuntiatio absque juramento facta, invalida sit, fatentur Omnes, textu claro l. fin. C. de Pactis: ubi etiam ratio habetur; quia nempe huiusmodi pactiones odiosæ videntur, & plene iustissimi exitus, ac contra bonos mores sunt.

542 Altera Conclusio pars, quod videlicet nullæ sint, etsi juramento confirmetur, est Communissimè, multisque Decisionibus Rotæ firmata, ut proin teste Torre de Pactis success. lib. 2. cap. 3. n. 68. de veritate hujus Conclusionis hodiè non amplius sit ambigendum. In specie eam tenet Torre lo. cit. n. 67. Bolognet. in l. fin. C. de Pactis. nu. 59. Baldus in c. Ad nostram. de Jurjur. nu. 7. Soc. Sen. vol. 3. consil. 73. Fachin. lib. 8. cap. 72. Sanchez lib. 7. cap. 2. num. 32. Tholoan. Syntag. Jur. univ. lib. 4. n. 13. Layman lib. 3. Tract. 5. cap. 7. n. 3. Gallerat. de Renuntiat. lib. 3. cap. 2. n. 60. & Communissimè aliorum. Ratio est; quia huiusmodi Renuntiationes & pacta sunt contra bonos mores, l. fin. C. de Pactis. Non est autem obligatorum contra bonos mores præstium juramentum, Reg. 58. de Reg. Jur. in 6. nec actum Jure nullum validat, si idè est nullus; quia est contra bonos mores, vel Jus naturale, §. Sed naturalia. Instit. de Jur. natural. gent. & Civil. vel si est in præjudicium tertii, c. Cum contingat. 28. de Jurjur. uti res se habet in casu nostro; utpote in quo inducitur votum captandæ mortem alterius, l. fin. C. de Pactis. quod tanquam iniquum non solum à Jure Civili, sed & Canonico reprobatur. c. 2. de Concess. Prab. & c. 2. & 3. eod. in 6.

Procedit Conclusio, etiamsi alicubi vigeret contraria consuetudo: quia & hæc etiam invalida est, si est contra Jus naturale vel foveat peccatum, c. fin. de Consuetud. Talis autem foret consuetudo renuntiandi hereditatem viventis absque hujus consensu. Peccatum liquidem foret, quia, utpote contra bonos mores nunquam exerceri posset sine peccato. Contra Jus naturale verò, quia in præjudicium tertii vergit, quippe inducens votum captandæ mortis.

544 Nec dicas, per juramentum universaliter convulidari actus, & contractus aliis de Jure nullos: ergo etiam Renuntiationem de hereditate viventis. Textu claro c. quamvis. 2. de Pactis. in 6. ubi: Quamvis pactum patri factum à filio, dum nupti tradebatur, ut dotè contenta nullum regressum ad bona paternam haberet, improbat Lex Civilis, si tamen juramento non vi nec dolo, præstito firmatum fuerit, ab eadem omninò servari debet; cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redeat in alterius detrimentum. Resp. enim distinguendo Ant. Confirmat actus, & contractus de Jure nullos, si non sunt contra bonos mores, nec foveat peccatum, nec vergunt in præjudicium tertii, concedo: Si unà ex his qualitatibus affecti sunt, uti Renuntiatio hereditatis viventis, nego Ant. & consequent. Dices, etiam Renuntiatio posita in c. Quamvis. de Pactis. in 6. est de hereditate viventis, & tamen juramento firmatur: ergo. Resp. negando rationem & paritatem. Disparitas est, tum quia in dicto casu accessit consensus illius, cujus hereditas renuntiabatur, patris nempe: tum quia facta non est in favorem tertii, consequenter absque periculo voti captandæ mortis, sicque in nullius præjudicium, nec contra bonos mores, arg. cit. Juribus.

545 Illud etiam hic advertendum, quod, si quis 545 hereditati plurium in specie renuntiat, uno vel altero præsentem, & consentiente, altero verò absente, & consequenter consensum non præstante; talis Renuntiatio foret valida quoad consentientes, invalida verò quoad illos, quorum consensum deficiit. Torre de Pact. success. lib. 2. cap. 5. n. 67. cum pluribus aliis à se citatis. Ratio est; quia in materia separabili, utile per inutile non debet vitari. c. Utile. 37. de Reg. Jur. in 6.

546 **Q**uaritur III. An Renuntiatio, quâ filia dote accepta ritè & validè renuntiat, noceat liberis ex tali filia natis, vel generandis? Resp. I. Si in Renuntiatione expressum est, quod pro se & hereditibus renuntiet, etiam liberis noceat. Ita satis communis. Tenentque omnes, qui universaliter docent, liberos excludi per Renuntiationem factam à matre, inter quos est Surdus Confil. 133. nu. 11. & 12. lib. 1. Decius Confil. 118. & in l. Pactum dotalè. de Collat. & alii citati per Fachin. lib. 3. cap. 23. Ratio est; quia quantum ad bona fortunæ, & jura sua potest quis se, & heredes obligare, per vulgaria Juris: consequenter, si ita expressè pacifcentur mater, liberi acquiescere debent.

547 **R**esp. II. Si nulla de heredibus facta est mentio in Renuntiatione, non noceat liberis, casu quo mater eorum ante avum, vel aviam fuit mortua. Fachin. lib. 3. cap. 23. Carpz. p. 3. Confil. 35. desin. 11. Dauth. in c. Quamvis. de Pactis. in 6. num. 44. Covarruvias in c. Quamvis. de Pactis. in 6. p. 3. §. 2. nu. 4. Azor. riuus Tom. 2. lib. 2. cap. 28. nu. 13. Bartolus in l. Qui superstiti. ff. de Acquir. heredit. & alii contra Molinam Disp. 579. n. 4. Surdus Confil. 133. nu. 11. & 12. lib. 1. Fundamentum est, quod licet mater per talem Renuntiationem sit exclusiva ab omni successione; per hoc tamen non manent exclusi liberi, utpote qui mortuæ matre, jure proprio succedunt avo, vel avia, arg. l. Si quis filio. ff. de Injusto rupto. Accedit,

quod Renuntatio habeat tacitam hanc conditionem, si hereditas fuerit delata, arg. l. 1. ff. de Hered. vel act. vend. l. 17. ff. de R. I. & l. Qui superstitis, ff. de Acquir. hered. atqui si filia renuntians ante matrem, aut patrem renuntiarum moritur, hereditas ei non fuit delata arg. cit. l. 1. ff. de Hered. vel act. vend. patetque ex dictis: ergo. Nec obstat, quod in Renuntiatione filia acceperit dotem. Nam contra est, quod pater teneatur dotare filiam l. fin. de Dotis promiss. & sola dos non impedit, quin filia dotata adhuc succedat; dummodo conferat dotem, l. Illan. C. de Collatione.

548 Queritur IV. Quomodo sit interpretanda Renuntatio? ad quæ bona, & quo usque se extendat? ac quando expiret? Resp. I. Renuntatio est strictè interpretanda, nec extendenda ultra verborum proprietatem, aut communem renuntiandi consuetudinem, ac ita intelligenda, ut Renuntiantis minus præiudicet. Carpz. p. 2. consil. 46. desin. 12. n. 6. Layman lib. 3. tract. 5. cap. 7. n. 2. Gailus lib. 2. Observ. 77. nu. 5. Decius Consil. 352. num. 7. Torre lo. cit. lib. 2. cap. 15. n. 81. ac plurimæ Rotæ Decisiones, arg. l. Tres fratres. 35. l. Si unus. §. Pacta. q. & l. Emp. 27. §. Lucius. ff. de Pactis. Ratio est; quia quæ contra Jura sunt, uti Renuntatio de futura successione, arg. c. Quamvis de Pact. in 6. strictè interpretanda veniunt, per vulgaria.

549 Resp. II. Renuntatio non se extendit ad bona Feudalia, nisi expressa de eis mentio fiat. Covarruvias p. 3. in c. Quamvis pactum de Pactis in 6. n. 9. Molina Disp. 579. n. 22. Layman lo. cit. Torre de Pactis futuræ success. lib. 2. cap. 38. n. 12. & seqq. Menochius consil. 16. n. 25. Sanchez lib. 7. Moral. cap. 7. n. 8. & communis aliorum. Ratio est: quia bona Feudalia non tam jure hæreditario, quàm ex pacto primi acquirentis devolvuntur: ut patet ex dictis supra Tit. 20. de Feudis.

550 Resp. III. Renuntians hereditati paternæ vel maternæ potest eam jure hæreditario adhuc acquirere à fratre vel alio, ad quem renuntiat hereditas devenit; si tali vel ab intestato, vel ex Testamento succedit. Molina lo. cit. n. 20. Covarruvias lo. cit. n. 2. Sanchez lib. 7. Moral. cap. 7. num. 6. Menochius consil. 33. 5. & Communis aliorum. Ratio est; quia renuntians in tali casu non petit bona tanquam hereditatem paternam, cui renuntiavit, sed fraternam, vel aliam, cui non renuntiavit.

551 Resp. IV. Renuntians hereditati paternæ habet jus ad alimenta in casu necessitatis. Covarruvias p. 2. in c. Quamvis pactum. §. 6. n. 12. Baldus in l. Pactum. C. de Collat. quest. ult. Sanchez lo. cit. nu. 4. Menochius Consil. 71. à n. 5. latè probans, & plures alii contra non paucos apud citatum Covarruviam & Sanchez. Ratio est; quia Jure prohibitum est futuris alimentis renuntiare, l. Cum hi. 8. ff. de Transact.

552 Resp. V. Renuntatio facta sub conditione regulariter loquendo evanescit, deficienti conditione. Torre de Pactis futuræ success. lib. 2. cap. 34. & 40. Merlin. Decis. 1253. n. 5. cum communi & certa aliorum. Ratio est: tum quia universaliter dispositio conditionalis deficienti conditione est ipso jure nulla arg. l. 1. C. de Donat. que sub modo. l. Qui heredit. §. l. Mevius. ff. de Condition. & demonstrat. Tum quia conditio nihil parit in esse; & hinc actus conditionalis non valet, conditione deficienti. l. Cedere diem. ff. de V. S. & l. Si quis. sub condit. ff. Si quis omnia causa. Et ideo sequens Renuntatio, quæ dicit foror: renuntio hereditati paternæ in favore fratri mei; si hic nubit, & filios acquirit, invalida erit, si vel non nubat, vel nubens filios non acquirit.

553 Resp. VI. Renuntatio facta ex certa causa finali

cessat, quando causa non adimpletur, vel cessat, aut non evenit. D. de Renuntiis. Tom. 1. cap. 19. per totum. Pontan. de Pactis N. p. 1. Claus. 9. Glossa unum. 83. Torre de Pact. futur. success. lib. 2. cap. 33. n. 224. & seqq. Molina Decis. 229. & Decis. 362. n. 12. & Communis aliorum, arg. cit. l. 1. C. de Donat. que sub modo. Ratio est; quia universaliter causa expressa regular actum, & datum ex aliqua causa, revocatur causa non subsecuta l. 1. ff. de Condit. causa data. Vide Barbosa de Axiomat. Jur. Axiomat. 40.

Plura de Renuntiationibus vide apud Civilistas, præsertim in l. fin. C. de Pactis. quorum aliqui integros Tractatus scripsere de hac materia. Item apud Canonistas in c. Quamvis pactum. de Pactis. in 6. In quod pulchre Covarruvias. Insigniter etiam de Pactis futuræ success. integrum Tractatum scripsit Joannes Torre. Specialiter etiam hic agendum esset de Renuntiationibus, quæ sunt à Novitiis, vel secularibus intuitu ingressus in Monasterium. Sed de hac infra Tit. 31. de Regular.

Queritur V. Quid sit, & quibus competat Jus accrescendi? Resp. I. Ut hic est jus, quo pars vacans cedit, & accretit parti sub uno toto quali sociæ jam occupata. Calvinus in Magno Lexi. Jur. V. Accrescendi jus. & est in re communis. Dicitur autem Ut sit; quia non tantum in materia hereditatis, sed etiam in aliis datur. Ad præsens autem specialiter loquendo in materia hereditatis: Est jus, quo alicui jam habenti aliquid de hereditate accrescit alia hereditas portio ex certa causa vacans. Calvinus lo. cit. Ludovell. de ultim. volun. p. 1. cap. 5. cum communi, arg. l. 9. ff. de Suis & Legitim. hered.

Resp. II. Quandoque plures instituntur hæredes, & unus, vel plures adeunt hereditatem; unus vero, vel plures eandem repudiant, vel ex alia ratione eam acquirere nolunt, aut non possunt, tunc horum portio vacans accrescit adeunti hereditatem. Communis ac certa Textu clarò, cit. l. Si ex pluribus. 9. ff. de Suis & Legitimis hered. ibi: Si ex pluribus hæredibus legitimis quidam omiserint adire hereditatem, vel morte, vel aliquâ aliâ ratione impediti fuerint, quo minus adeant; reliquis, qui adierint, accrescit illorum portio.

Reliqua de Jure accrescendi relinquimus Legisistis, qui hanc materiam pro una ex difficillimis & subtilissimis in Jure reputant, ut putat Vult. ad §. fin. Inst. de Donat. nu. 1. adeo, ut nulla in Jure spinosior sit, ut opinatur Hotom. Ill. 9. 44. bene de hoc jure discurret Ludovell. lo. cit. Tutschus Litt. I. Concluf. 365. & seqq.

§. XVIII.

De Substitutionibus.

SUMMARIUM.

557 Substitutio quid?
558 Alia est directa, alia indirecta.
559 Differentia inter utramque.
560 Substitutio directa adhuc multiplex est.
561 Alia est enim vulgaris: & que?
562 Valet Substitutio vulgaris, sive institutus nolit, sive non possit adire hereditatem.
563 Et consequitur substitutus totum id, quod institutus habuisset.
564 Cominet Substitutio vulgaris expressè tacitam pupillarem.
565 Et facit ex hærede suo voluntarium.
566 Substitutio vulgaris expirat, post aditam hereditatem.

§. XVIII. De Substitutionibus.

567 Nisi impubes sit hæres.
568 Vel pubes intra annum, voluntatem defuncti adimplere negligat.
569 Expirat etiam, si substitutus ante institutum, vel ante aditam ab ipso hereditatem moritur.
570 Pupillaribus Substitutio quid?
571 Alia est Pupillaris expressa, alia tacita.
572 Soli impubribus in potestate patria Testatoris constituitur fieri potest Pupillaris substitutio.
573 Mater non potest facere Substitutionem pupillarem.
574 Requisita ad validam Substitutionem pupillarem.
575 Substitutus pupillariter succedit tam in bonis pupilli, quam Testatoris substituentis.
576 Substitutio pupillaris expressa continet tacitam vulgarem.
577 Et excludit matrem à successione impuberis.
578 Enumerantur casus, in quibus Substitutio pupillaris expirat. Et num. seqq.
580 Est expirat Substitutio pupillaris expressa per hoc nondum expirat vulgaris tacita, & duobus num. seqq.
581 Substitutio exemplaris quid?
584 Potest fieri tam à matre, quam à patre.
585 Potest fieri à furiosis, mente captis, prodigis, mutis ac furdis.
586 Quinam substitui possunt, ac debeant?
587 Substitutio exemplaris potest variè fieri.
588 Habet eisdem effectus, quos pupillaris.
589 Ita, ut etiam excludat matrem furiosi, vel amentis.
590 Expirat autem hæc Substitutio, si ille, cui sit, per notabile spatium liberatur à sua infirmitate.
591 Præsertim si tempore lucidæ intervalli facit Testamentum.
592 Item expirat, si amenti postea nascantur liberi.
593 Substitutio Reciproca, seu breviloqua que?
594 Non requirit certam formulam.
595 Pro diversitate modi, quo sit, diversas continet alias Substitutiones.
596 Juxta quarum naturam etiam expirat.
597 Substitutio Compendiosa que? Et cuius effectus?

557 Postquam huc usque egimus de principali specie Ultimæ Voluntatis, pergitur modò ad reliquas Ultimarum Voluntatum species, Substitutiones nempe, Fideicommissa, Legata, & Donationes mortis causâ, & Codicillos. Et quia inter has principaliter est substitutio, utpote propinquibus accedens ad essentiam Testamenti, prius de hac in præsentibus Paragraphis agemus. Hinc

558 Queritur I. Quid & quotuplex sit Substitutio? Ante responsum nota, multum, sed planè inutiliter controversere aliquos Doctores circa definitionem datam L. 1. ff. de Vulg. & pupill. substit. ubi definitur Substitutio, quod sit hæres secunda institutio: aliis eandem ut minus sufficientem rejectibus. Resp. I. Substitutio est subordinata heredis institutio, aut vocatio ad rem aliquam ex Ultimâ Voluntate. Piching h. t. n. 60. Wefenbec. in L. 1. ff. de Vulg. & pupill. substit. Etque in re communis. arg. cit. l. 1. ff. de Vulg. & pupill. substit. Et patet ex terminis. Solum notanda verba, aut vocatio ad rem aliquam ex Ultimâ Voluntate: que ideo sunt addita, ut conveniat cuius Substitutioni etiam indirectè, ac in legatis factæ. Quamvis enim propriè Substitutio dicatur, si in locum unius heredis substituitur alius, casu quo primus hereditatem adire nollet,

vel non potest, arg. cit. l. 1. ff. de Vulg. & pupill. substit. Tamen etiam indirectè, ac in legatis fieri potest Substitutio, ut bene advertit Covarruvias de Testam. cap. 16. §. 4. n. 1. Textu clarò l. Ut hæredibus 50. ff. de Legatis II. ibi: Ut hæredibus substitui potest, ita & legatariis. Hinc ut omni Substitutioni definitio conveniret, addita sunt præfata verba.

Resp. II. Substitutio primò dividitur in directam, 559 & indirectam, seu obliquam. Covarruvias lo. cit. n. 2. Piching h. t. lo. cit. Hunn. p. 4. tit. 18. n. 6. & communis aliorum. Directa est, quæ quis immediate ab ipso Testatore absque ullo ministerio alterius instituti, hereditatem consequitur: ut si Testator dicit: heredem instituo Titium, qui si hæres non erit, puta quia non vult, aut non potest, hæres mihi sit Cajus, sive heredem substituo Cajum. Indirecta vero seu obliqua Substitutio (quæ etiam Fideicommissaria appellatur) est, quæ quis hereditatem non immediate ab ipso Testatore, sed mediante alio prius instituto juxta dispositionem tamen Testatoris accipit, dum nempe institutum rogat, eque mandat, & fidei ejus committit, ut hereditatem ex toto vel ex parte substituto restituat. Talis est, si Testator dicat: Lucium heredem instituo, voloque, vel mando, aut rogo, ut eam Sempronio restituat. Ita cum communi aliorum DD. citatis, quibus adde Schneidev. ad Prin. Inst. de Vulg. & pupill. substit. n. 6. Abbas h. t. in c. Raynutius. Jalon in Rub. ff. de Vulg. & pupill. substit. In dubio præsumitur Substitutio directa, textu clarò c. l. h. t. in 6. Ratio est; quia regulariter mavult Testator, ut substitutus à se, quam ab alio hereditatem capiat.

Differt autem Substitutio directa ab indirecta in 560 pluribus. Et I. quidem, quod directè substitutus capiat totam hereditatem sine ulla diminutione: indirectè vero substitutus pati debeat detractionem Trebellianicæ, quam facere potest directè institutus juxta dicta superius num. 473. II. Quod si directè institutus non adeat hereditatem, vel ante Testatorem moriatur, expirat Substitutio indirecta, seu Fideicommissaria: non item directa.

Substitutio directa ulterius dividitur in vulgarem, Pupillarem, Exemplarem, Reciprocam, seu breviloquam & Compendiosam. Covarruvias lo. cit. Piching lo. cit. Schneidev. & communis aliorum.

Queritur II. Quid sit, & quos effectus habeat 561 Substitutio vulgaris? Resp. I. Est Substitutio directa, quæ quivis (testandi capax) quemvis (hereditatis, vel legati capax) substituit, seu in locum alterius vocare potest. Covarruvias lo. cit. n. 3. Schneidev. lo. cit. n. 8. Bart. in L. 1. n. 5. ff. de Vulg. & pupill. substit. Hunn. lo. cit. n. 1. Piching h. t. n. 61. & communis aliorum. Dicitur vulgaris; quia cuiusvis tam suo nempe, quam extraneo hæredi fieri potest. Covarruvias lo. cit. citans Theophil. in prin. Inst. de Pupill. substit. Potest autem hæc Substitutio ob duplicem casum fieri; videlicet, vel quia hæres institutus hereditatem adire non vult; aut quia non potest, utpote præmorsuus, vel Lege impeditus. Qui uterque casus à Testatore potest vel generalibus, vel specificis & expressis verbis exprimi. Generaliter exprimitur uterque, si Testator absolute & generaliter dicit: Titium heredem instituo, qui si hæres non erit, Titium substituo, vel Titium hæres esto, vel si dicit, Cajum & Sempronium heredes instituo, illisque sibi invicem substituo. Specialibus verbis fit: si Testator dicat v. g. Titium heredem instituo, qui si hæres non poterit, vel noluerit esse, substituo Cajum: vel si tantum unum casum exprimat dicendo v. g. Cajum heredem instituo: cui, si hæres esse nolit, Mevium substituo. Controversia modò est inter Doctores. An substitutio semper ad utrumque casum extendatur ac intelligenda sit? Ad quam decidendam

562 Resp. II. *Substitutio vulgaris* ad utrumque casum extenditur non tantum, quando verbis generalibus, vel specialibus uterque casus tam impotentia, quam nolentis scilicet exprimitur, sed etiam quando verbis expressis unicus casus, v. g. sola impotentia hæredis, vel sola contraria voluntas succedendi in Testamento exprimitur, dicendo v. g. *Titium hæredem instituo, cui, si hæres esse nolit, Cajum substituo*: aut *Pium hæredem instituo, eique, si hæres esse nequeat, Mævium substituo*. Prima & secunda pars est certa apud omnes unanimiter concedentes, Substitutionem, quæ dicitur: *Titium hæredem instituo, eique vel nolenti, vel non potenti adire hæreditatem, substituo Lucium*, esse validam, sive nolit, sive non possit institutus hæres adire hæreditatem. Menochius de *Pæsumpt. lib. 4. Pæsumpt. 65. Grass. de Success. p. Substitutio. q. 1. numer. 7. Sura. Consil. 226. n. 23.*

Tertia pars docetur à Covarruvia *cap. 16. h. r. §. 4. n. 5. Molina Disp. 183. n. 2. Gomez varior. Refolutio. cap. 3. numer. 10. Grass. lo. cit. & communissima aliorum, arg. l. Gallus. ff. de Libèris & posthum. & l. fin. C. de Posthum. hæred. instit. Fundamentum ulterius desumitur tum ex præsumpta voluntate Testatoris: tum ex identitate rationis: Nec enim est major ratio, cur velit Testator substituto assignare hæreditatem, si hæres institutus adire nolit, & non, si adire prohibetur à Lege, vel econtra. Et ceritè merito præsumitur, quòd, si Testator dicens, se vellet Cajum substitutum, si Titius institutus adire hæreditatem non possit, interrogatus fuisset, an non eundem substitutum velit, si adire nolit, esset responsurus affirmativè: habetur autem hoc pro disposito, de quo si fuisset Testator ipse interrogatus, verosimiliter respondisset, se ita vellet, ut tradit Glossa in *l. Tale pactum. §. Qui provocavit. ff. de Pactis. & ibi copiose Jason, ac post alios Decius in Consil. 89. numer. 1.**

563 Resp. III. *Substitutio vulgaris* plures, præcipuè autem sequentes habet effectus. I. Est, quòd si institutus hæreditatem adire nolit, aut non possit, morte v. g. præventus, aut aliàs Lege prohibitus, succedat substitutus, tanquam sequatur, quantum consecutus fuisset hæres institutus, cui substitutus est. Schneidevv. *lib. 2. Tit. 15. de Vulg. substit. Ludvv. de Ultim. Volunt. p. 2. Pirhing h. r. nu. 61.* cum communi & certa aliorum. *arg. l. Quamdiu. 69. ff. de Acquir. vel amitend. hæred. Et consequenter Testamentum, quòd in instituto deficit, à substituto vires, & valorem accipiat, arg. l. 3. ff. de Libèris, & posthum. De bonis tamen ipsius instituti substitutus nihil consequitur, in quo differt à Pupillari Substitutione juxta dicenda infra Schneidevv. *Pirhing lo. cit. Sylvester p. Hereditas. 4. q. 4.**

564 II. Quòd *vulgaris substitutio expressa* contineat tacitam Pupillarem. Covarruvias *h. r. cap. 16. §. 4. n. 6. Schneidevv. loc. cit. Ludvv. de Ultim. Volunt. p. 2. cap. 2. & communis aliorum. arg. l. Jam hoc jure. 4. ff. de Vulg. & pupill. substit. Hinc si pater dicit: *Filium meum hæredem instituo, eique, si hæres non erit, Titium substituo*, est substitutio *vulgaris expressa*, includit tacitam Pupillarem ita, ut si filius post aditam hæreditatem ante annos pubertatis moriatur, Cajus vi tacite Pupillaris Substitutionis succedat. Limitat autem Covarruvias *lo. cit. Ludvv. lo. cit. Jason in l. Precibus. 8. C. de Impuber. nu. 6. & communis aliorum hunc effectum, in casu, quo mater impuberis adhuc in vivis degit, hanc enim, præferti substituto, probatur ex *cit. l. Precibus*, ibi: *Eo defuncto ad te (matrem nempe) omnino ejus pertinet institutio, & l. fin. C. de Instit. & substit.***

565 III. Quòd ex *hærede suo* & necessario voluntaria efficiat, ita ut non tantum Jure Prætorio, sed

Civili hæreditatem repudiare valeat. De quo sicut & aliis *vulgaris substitutionis* effectibus vide apud Bartolum, & alios Legistas ad *l. 1. ff. de Vulg. & pupill. substit.* bene etiam de eisdem scribit Ludvvell. *lo. cit. Hunn. p. 4. Tit. 18. & alii.*

Quæritur III. Quondam expiaret *Substitutio vulgaris*? Resp. I. Regula est; quamprimùm hæres institutus adit hæreditatem, *Substitutio vulgaris* expirat, & evanescit. Communis ac certa, Textus expressus est in *l. Post aditam. 5. C. de Impub. ibi: Post aditam hæreditatem directe substitutiones non impuberibus filiis facte expirare solent. Ratio est; quia Substitutio vulgaris fit sub conditione, videlicet, si institutus hæres non erit; consequenter si institutus hæres fit, conditio deficit, siquæ adus sub conditione factus, conditione deficiente deficit; arg. l. 1. C. de Donat. quæ sub modo. & aliis juribus num. 552. citatis.*

Limitatur tamen Conclusio I. in casu, quo *Substitutio vulgaris* facta pupillo, hic ante pubertatis annos expirat, quia in hoc casu *vulgaris expressa* continet tacitam Pupillarem juxta dicta numer. 564. Unde notanda verba in *cit. l. Post aditam*, *Substitutiones non impuberibus facte.*

Limitatur II. Si hæres post aditam hæreditatem, intra annum voluntatem defuncti non adimplet, tunc enim Lex hæreditatem instituto auferit, & substituto, si de adimplenda voluntate defuncti cavet, applicat, Ludvvell. *lo. cit. Hunn. lo. cit. cap. 5. numer. 7. & Communis aliorum. Authen. Hoc amplius. C. de Fideicommiss. ibi: Qui defuncti iudicium moritur, à Jure intra annum non implet, excluditur & hunc eundem cum onere suo, data super hoc cautione, deseritur primò substituto.*

Resp. II. Pariter expirat *Substitutio vulgaris*, si substitutus ante institutum, vel saltem ante aditam ab ipso hæreditatem moritur. Molina *Disp. 183. n. 8. Pirhing h. r. num. 61. & communis aliorum. Ratio man. f. ita est; quia hæreditas non edita non transmittitur ad hæredes L. un. §. In novissimo. 5. C. de Caduc. toll. & l. Sed si plures. 10. ff. de Vulg. & pupill. substit.*

Quæritur IV. Quid, & quotuplex sit *Substitutio Pupillaris*? cur, à quo, & quomodo fieri possit? Resp. I. *Substitutio Pupillaris* est, quæ parentes liberis adhuc impuberibus hæredibus institutus alium hæredem substitutum. Schneidevv. *lib. 2. Tit. 16. de Pupill. substit. Hunn. lo. cit. tit. 19. Covarruvias h. r. cap. 16. §. 5. Ludvvell. lo. cit. & communis aliorum, arg. prin. Insti. de Pupill. substit. ubi etiam causa originalis hujus Substitutionis allegatur, videlicet, ut, quia pupilli impuberis Testamentum facere non possunt, pater eorum loco faceret.*

Resp. II. *Substitutio Pupillaris* duplex est, una expressa, altera tacita. Expressa est, quando Testator expressis verbis etiam meminit conditionis, quòd si filius impubes ante annos pubertatis decedat, velit hunc vel illum substitutum. Tacita est, ipsa *vulgaris expressa*, quæ impuberi absque expressa mentione primum dictæ conditionis instituto hæredi substituitur alius: quia juxta supra num. 564. dicta *vulgaris expressa* semper continet tacitam Pupillarem. Sic v. g. *Substitutio pupillaris expressa* erit, si Testator ita dicit: *Filium meum hæredem instituo, eique, si hæres non erit, vel si hæres erit, tamen ante annos pubertatis moritur, Cajum substituo*, vel si omisso primo membro absolute dicat: *Filius, aut filia mea hæres sit, cui, si ante annos pubertatis decedat, substituo Titium*; vel cujus loco, si ante pubertatem moritur, hæres sit Titius. Substitut. verò tacita Pupillaris erit sequens: *Filius meus impubes, vel absolute, filius meus hæres sit, qui si hæres non erit, hæres sit Titius; vel substituo Titium*. Schneidevv. *lo. cit. n. 4. Covarruvias lo. cit. Hunn. lo.*

lo. cit. num. 5. Donell. lib. 6. Comment. Pirhing h. r. sect. 3. §. 3. & communis aliorum. *arg. prin. Insti. de Pupill. substit.* ibi: *Liberis suis impuberibus, quos quis in sua potestate habet, non solum ita, ut supra diximus, id est, ut si hæres ei non existerint, alius sit ei hæres (quæ est vulgaris expressa, & tacita pupillaris) sed eto amplius, ut si hæres ei existerint, & adhuc impubes mortui fuerint, sit eis aliquis hæres: veluti, si quis dicat hoc modo: *Titius filius meus hæres mihi esto; & si filius meus hæres mihi non erit, sive hæres erit, & prius moriatur, quam in suam tutelam venerit, tunc Sejus hæres esto*. Concordat L. 2. ff. de Vulg.*

572 Resp. III. Solis liberis impuberibus etiam posthumis, & nepotibus in patria potestate Testatoris adhuc constitutis, & consequenter à solo illo, qui hos in sua potestate habet, *Substitutio pupillaris* fieri potest. Grassus de *Success. & substitut. q. 62. Scharh. ad l. Precibus. n. 16. de Impub. & aliis substit. Schneidevv. lo. cit. Hunn. lo. cit. Tit. 19. cap. 1. cum communi & certa aliorum: Textu claro L. 2. ff. de Vulg. ibi: *Mortuis introductum est, ut quis liberis impuberibus Testamentum facere possit, donec masculi ad quatuordecim annos pervenerint, femelle ad duodecim. Quod sic erit accipiendum, si sint in potestate. Ceterum emancipatis non possunt. Posthumis plane possunt; nepotibus etiam possunt. Et deinceps si qui non sunt relapsuri in patriam potestatem. Ex quibus ultimis verbis patet, quòd avus nepotibus, vivente hujus patre, non semper efficaciter possit aliquid pupillariter substituire; licet enim nepos de Jure communi sit in potestate avi, etiam vivente adhuc patre; quia tamen dum moritur avus, nepos illic relabatur in potestatem patræ, videlicet ultimorum verborum: *Avus nepoti ita relabatur substituire non potest. Sed si eos patres præcedant (pergit citata L. 2.) id est, si pater nepotis, ante nepotem impuberem moritur, ut proin in ejus potestate nepos avi non incidat, substitui ei potest.***

573 Insuper, quòd mater nunquam facere possit *Substitutionem pupillarem*, Covarruvias *lo. cit. n. 18. Bartolus ad dictam L. 2. & Doctores communiter. Ratio est; quia liberi nunquam sunt, neque dicuntur esse in potestate matris, sed patris, vel avi.*

574 Resp. IV. Ad hoc, ut *Substitutio pupillaris* ritè fiat, & valeat, plura requiruntur. Patet inductione. Nam præter hoc, quòd non nisi impuberi in potestate Testatoris constituto fieri debeat, requiritur ulterius I. Ut substituitis prius faciat pro se Testamentum. L. 2. §. 1. ff. de Vulg. ibi: *Quisquis autem impuberi Testamentum facit, sibi quoque debet facere. Ceterum soli filio facere non potest; nisi forte sit miles. II. Ut in dicto Testamento prius illum, cui substituire vult, scribat hæredem, vel exheredat, & postea hæredem scribat. Substitutio fit nulla, cit. L. 2. prim. ibi: *Si instituti, vel exhereditati fuerint (ubi nota, etiam exhereditatis substitui posse) & §. 4. ibi: Prius autem sibi quis debet hæredem scribere, deinde filio substituire, & non convertere ordinem scripture. Ceterum, si ante filio (per Substitutionem) deinde sibi Testamentum faciat, nil valet. III. Ut proles, cui substituitur, ante mortem Testatoris substituitis non attingat annos pubertatis, & maneat adhuc in ea potestate, arg. l. Cohæredet. 41. §. Cum filius. 2. ff. de Vulg. & l. In pupillari. 14. ff. eod. ibi: *In pupillari substitutione, licet longius tempus comprehendat fuerit, tamen finitur Substitutio pubertate. Pariter finietur, si impubes vivo substituitis fuerit emancipatus, Schneidevv. lo. cit. n. 9. Gilcken ad l. Post aditam. C. de Impub. & aliis substit. Jason in L. 2. n. 21. ff. de Vulg. Grassus lo. cit. q. 23. n. 10.***

cum communi. IV. Requiritur, ut substitutus hæreditatem patris Testatoris adeat, hanc enim si repudiat, nec impuberis hæreditatem adire potest. Communis ac certa, Textu claro L. 2. §. 1. ff. de Vulg. ibi: *Nisi adita quoque patris hæreditas sit, pupillare Testamentum evanescit, & l. Sed si plures. 10. §. 4. ff. eod.*

Quæritur IV. Qui sint effectus *Substitutionis pupillaræ*? Resp. Esse præcipuè tres sequentes. Primus & principalis effectus est, quòd vi illius substitutus succedat non tantum in bonis, seu hæreditate Testatoris substituitis, sed etiam in bonis illius, cui substitutio facta est, unde quæque dein sive à patre, sive à matre, forore, donatione &c. illa habeat, casu quo talis ante pubertatem moritur. Communis ac certa textu claro l. Sed si plures. 10. §. 5. ff. de Vulg. ibi: *Ad substitutos pupillares pertinent, etsi quæ postea pupillis obtinerint, ubi etiam ratio additur: Neque enim suis bonis Testator substituit, sed impuberis. Alia ratio assignatur prin. Insti. de Pupill. substit. nempe quia pater substituitis pro impubere jam fecit Testamentum, ibi: *Nam mortuis introductum est, ut cum ejus ætatis filii sint, in qua sibi ipse Testamentum facere non possunt, parentes ei faciant.* Et in hoc principaliter differt à *Substitutione vulgaris*, utpote vi cujus substitutus in solis bonis Testatoris substituitis, & non illius, cui substituitur, succedit, juxta jam dicta num. 563.*

Secundus effectus est, quòd *Substitutio pupillaris expressa* contineat *vulgarem tacitam*, sicut supra num. 564. diximus, in vulgari expressa contineri tacitam pupillarem; sive deat fiat verbis *vulgarem* quoque exprimentibus, v. g. dum pater ita testatur: *Filium meum hæredem instituo, eique, si hæres non erit, vel si erit, tamen ante pubertatem moritur, Cajum substituo*: sive fiat verbis solum *pupillarem* expressè manifestantibus, v. g. *Filium hæredem instituo, eique, si ante pubertatem decedat, Cajum substituo*. Covarruvias *lo. cit. §. 5. Schneidevv. lo. cit. numer. 14. Mantica de Consect. Ultim. Volunt. lib. 5. tit. 3. Zalius de Substitut. pupill. num. 18. & Communis aliorum, arg. l. Jam hoc jure. ff. de Vulg. ibi: *Jam hoc jure utimur, ut cum pater impuberi filio in alterum casum substituisse, in utrumque casum substituisse intelligatur: sive filius hæres non existerit, sive existerit, & impubes decesserit.* Hinc fit, si post mortem Testatoris superstes filius non adeat hæreditatem, substitutus adhuc hæreditatem paternam capiat saltem vi tacite *vulgaris Substitutionis*.*

Tertius effectus est, quòd *Substitutio pupillaris expressa* excludat etiam matrem à successione impuberis intra annos pubertatis decedentis. Covarruvias de *Testam. cap. 16. §. 5. nu. 20. Schneidevv. lo. cit. n. 16. Pirhing h. r. n. 66. Bartolus in L. 2. ff. de Vulg. & Communis aliorum, l. Lucius. 45. ff. eod. l. Pupilianus. 8. §. Sed nec impuberis. ff. de Inoffici. Testam. juncto a. l. h. r. in 6. Dicitur autem notanter, *Pupillaris expressa*: quia pupillaris tacita in vulgari expressa comprehensa matrem non excludit, juxta dicta num. 564.*

Quæritur V. Quondam expiaret *Substitutio pupillaris*? Resp. Plures quidem à Doctores assignari casus, in quibus substitutio pupillaris expirat, ut videre est apud Schneidevv. *lo. cit. Bart. & alios*; quia tamen plures per se patent, ideo aliquos tantum adducere placet. Et quidem universaliter expirat, quoties Testamentum rumpitur, revocatur, aut rescinditur, Tholosan. in *Syntag. Jur. lib. 42. cap. 20. n. 2. Hunn. p. 4. Tit. 19. Duaren in Comment. Tit. de Vulg. & Pupill. substit. cap. 16. cum Communi. Et patet; quia cum non nisi à Testamento substituitis vim suam habeat hæc substitutio, utique illo deficiente, & hæc deficiet; cum cessante causa cesset effectus.*